



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

LXII. Declaratio nullitatis Actorum a Gen. Inquisitore, quibusdam
Ordinariis, & Curia Laicali adversus Episcopum Carthagin. gestorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](#)

ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo labore permanens ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse dero-gamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

S. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel offensæ.

Datum Roma apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Januarii MDCCVI. Pontificatus nostri Anno Sexto.

LXII.

Declarantur nulla acta in Indiis collata a Generali Inquisitore, Archiepiscopo S. Fidei, Episcopo S. Martha, & Curia Laicali adversus Episcopum Carthaginensem. Immunitatis Ecclesiastica jura tuentem, cum nonnullis aliis declaratio-nibus, & Statutis.

Inn. XII. Conf. ed. 1693. Sep. 1. P. 3. declarata fuere nulla edita Prætoris Cremonen. de festo S. Dominici. Et hujus Pontificis Conf. ed. 1707.

Jan. 1. P. 7. declaratur nullum editum Archiepiscopi Goan. contra jurisdictionem Commissarii Apost. in Indiis Orient.

Dat. 19. Jan.
1706. An. 6.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Lis orta inter
Episcopum
Carthaginensem,
& alios
præd.

Quæ ad ex-
amen revocata
fuit a speciali
Cōgregatio-
ne 11.03.1704.

Approbantur
acta Episcopi
Carthaginensem,
& nulla de-
clarantur illa
partis adver-
sa.

Eadem revo-
cantur, & ir-
rita pronun-
ciantur.

Quomodo
procedendū
adversus par-
tem contra-
riam, & de-
linquentes;
atque Tribu-
nal Inquisi-
tionis in Ci-
vitate Car-
thaginensi a-
boletur.

EX commissi Nobis divinitus pastoralis officii debito causam inter Venerabilem Fratrem Michaelem Antonium Episcopum Carthaginem, in Indiis ex una, & Dilectos filios Franciscum Varelam adversus haereticam pravitatem Inquisitorem in dicta Civitate auctoritate Apostolica deputatum, ac Officiales, seu Ministros Curia Laicalis, necnon Venerabiles Fratres tunc existentes Archiepiscopum Sanctæ Fidei, & Episcopum Sanctæ Martha, aliosque ex altera partibus vertente dirimere cupientes, de Congregationis nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus a Nobis specialiter depu-tata, quæ diebus 11. Decembris 1703. & 11. Januarii 1704. si ita Nobis placuerit, ut infra, censuit, confilio, omnia acta per dictum Michaelem Antonium Episcopum esse rite, & bene ges-ta, & vice versa cuncta, quæ per dictos Inquisitores, & Curia Laicalis officiales, seu Minis-tros, ac Archiepiscopum Sanctæ Fidei, & Episcopum Sanctæ Martha contra prædictum Michaelem Antonium Episcopum gesta fuerunt, esse nulla, invalida, & attentata, auctoritate Apo-stolica, tenore præsentium declaramus.

S. 1. Et nihilominus ad maiorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula re-vocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuum, ac pro revocatione, cassaris, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuis semper haberi debere decernimus, & pariter declaramus.

S. 2. Ceterum præfati Archiepiscopus Sanctæ Fidei, & Episcopus Sanctæ Martha, ceterique omnes suprannominati consulant conscientia sua pro eorum absolutione. Quo vero ad Canonicos, aliosque Ecclesiasticos, etiam Regulares delinquentes dictus Michael Antonius Episcopus in redditu ad suam Ecclesiam contra illos non obstante quacumque prætensa exemp-tione per eos forsitan adducenda, prout de jure procedat, & jam excommunicati curent sibi con-cedi absolutionem a præfato Michaeli Antonio Episcopo, qui prævio edito offerat illam com-

parentibus infra terminum præfigendum, ex-cepto Canonico cognominato Bentancur, cui uti magis culpabili, & in suis delictis detestabilis dictus Michael Antonius Episcopus de mandato nostro injungat, ut ad hanc Almam Urbem nostram accedat, firmis tamen remanentibus pri-vatione Canonicatus, & præbendæ, necnon Be-neficiorum, aliisque penis eo per memoratum Michaeli Antonii Episcopum infligit. Præterea Tribunal Inquisitionis a dicta Civitate Car-thaginem amovendum esse harum serie etiam de-cernimus.

S. 3. Quo vero ad illos, qui Carcerationem, exilium, & quæplures alias penas passi fue-runt, ex quo eidem Michaeli Antonio Episco-po adhæserunt, eisdem, & eorum familiis tam in puritate sanguinis, quam in nobilitate, prout etiam quoad officia, & quæcumque beneficia cum cura, & sine cura, Canonicatus, & præ-bendas, ac Dignitates, etiam primas, necnon quacumque Cathedrales, & Metropolitanas Ec-clesias obtinendas nullum præjudicium illatum fuisse, ac illis omnes mulctas, aliaque damna passa pariter reficienda esse, & processus contra eosdem formatos pro abolitis, & cassatis haben-dos esse auctoritate, & tenore præfatis itidem declaramus.

S. 4. Insuper subjectionem Monasterii Monialium Sanctæ Clarae Civitatis prædictæ eidem Michaeli Antonio Episcopo juxta declarationem tunc existentium ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, & quasdam fe. re. Innocentii PP. XI. Prædecessoris nostri desuper in simili forma Brevis expeditas literas quarum tenorem præfibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, cum pri-vatione omnium officiorum, ac vocis activæ, & passivæ in perpetuum respectu illorum Fra-trum, qui complices, & culpabiles de tot ins-tibutis, & violentiis contra Monasterium, & Moniales hujusmodi commissarii reperti fuerunt, factam confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur abisci-mus. Porro dilectus filius Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Obser-vantia nuncupatorum procedat, prout de jure ad executionem penas adversus delinquentes, iisque pro absolutione a censuris incurris ad eum-dem Michaeli Antonium Episcopum recurrere teneantur.

S. 5. Ulterius omnia alia Monialium Monasteria cujuscumque Ordinis, si quæ ad sint, (ex-cepto Ordine Sancti Augustini) a jurisdictione, & regimine spirituali, & temporali Religioso-rum, quibus Monasteria hujusmodi subiecta sunt, eadem auctoritate ipsarum tenore præ-sentium perpetuo eximus, ac illa omnimodæ juridictioni tam in spiritualibus, quam in tem-poralibus memorati Michaelis Antonii, & pro tempore existentis Episcopi Carthaginem. sub-jecta sunt.

S. 6. Demum zelum præfati Michaelis Antonii Episcopi pro omnibus ad suæ dignitatis, ju-rium Ecclesiæ, & Immunitatis Ecclesiastica de-fensionem gestis plurimum in Domino com-mendantes illum de omnibus Ecclesiæ suæ fru-ctibus decursis, & non exactis, necnon de omnibus damnis occasione ejusmodi indebitæ vexa-tionis per ipsum passis, reintegrandum esse de-cernimus.

S. 7. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces exis-te-re, & fore, suosque plenarios, & integros effec-tus sortiri, & obtinere, ac dicto Michaeli Antonio Episcopo, aliisque ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia ple-nissime suffragari, & ab eis respective inviolabili-ter observari: siveque in præmissis per quoscum-

que

Antonius E-
piscopus Car-
thaginem.
rito oratur
elogio.

Clausula.

Quid de iis,
qui plura in-
juice passi
sunt.

Monas-
rium Monia-
lium S. Clা-
rae Episco-
pici sub-
sunt: &
Frates Mi-
nores pu-
nuntur.

Omnia alia
Monialium
Monasteria,
uno excepto:
Episcopi ju-
ridictioni
subjiciuntur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

que Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiiri debere; ac irritum, & inane, si fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Monasteriorum, & Ordinum prefatorum, aliisque quibusvis, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia robosatis, Statutis, & Consuetudinibus: privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permanens ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoriis die XIX. Januarii MDCCVI. Pontificatus nostri anno Sexto.

LXIII.

Conceduntur Fratribus Eremitis S. Augustini Provinciae Portugallie, qui in Congregatione Indianorum Orient. Vicarii Provincialis munere perfuncti fuerint, omnia privilegia Exprovincialium Provinciae.

Eadem privilegia Exprovincialium concessa fuerunt quibusdam Fratribus Iesuclarum Philipp. ab Innoc. XI. Conf. ed. 1677. Dec. 11. P. 2. Et nonnullis Discalceatis Congregationis Hisp., & Indianarum ab hoc Pontifice Conf. ed. 1704. Febr. 13. P. 4. Et Bened. XIII. Conf. ed. 1727. Jun. 14. P. 4. statuuntur ne amplius concedantur privilegia Exprovincialium in Provincia Portugallie.

Dat. 1. Febr.
1706. An. 6.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Rationes pro
obtinenda
hujusmodi
concessione.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Provincia Portugallie Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Nobis expositum fuit, ut quod cum ipsa Provincia quamdam habeat Congregationem in Indiis Occidentalibus sibi subjectam, ad cuius gubernium unus Vicarius Provincialis cum quatuor Diffinitoribus, qui illam tam in spiritualibus, quam in temporalibus juxta peculiares Constitutiones dicti Ordinis auctoritate Apostolica confirmatas ad instar cujuslibet memorati Ordinis Provincia cum ordinaria Jurisdictione, & auctoritate regant, institui solet; Congregatio vero hujusmodi aliquibus abhinc annis in calamitoso, & miserabilis statu reperiatur, tum ob Religiosorum defectum, qui illam zelo, ac debito fervore gubernent, curamque specialem Missionum eis commissarum, ac in illis partibus adeo necessarium habeant, tum denique ob repugnantiam, quam habent predictæ Provinciae Alumni pro memorata Congregationis regimine electi ad subeundum adeo longum, & pericolosum Maris Iter, idem Religiosi in Vicarios Provinciales electi, tametq; absolute eorum officio, in dicta Congregatione permanentes privilegiis Provincialibus absolutis competentibus potiuntur, nihilominus ipsis ad propriam Provinciam postea revertentes in ea omni profusus privilegio, & exemptione carent, ut autem Religiosi predictæ Provincia digniores ad subeunda tot, tantaque evidentiæ eorum vita pericula in confidendo, tam longo itinere sex millium leucarum Maris, & visitandis post eorum adventum Conventibus dicta Congregationis inter se valde distantibus, &

dendum disseminando verbum Dei variis in locis pariter distantibus, prout necessitas exigit incitentur, dilecti pariter filii Simon de Gouvea Lector Jubilatus, & Joannes Ferreyra Fratres expresse professi Congregationis, & Ordinis hujusmodi Exvicarii Provinciales, Congregationis, seu Capitulo intermedio dictæ Provincie die 10. Novembris 1704, celebrato supplicem libellum porrexerunt pro opportuno remedio, enixe deprecantes, ut nedum iidem Simon, & Joannes, qui predicta omnia pericula, & incommoda munus Vicarii Provincialis obeundu passi fuerint; Verum etiam ceteri dictæ Provincie Religiosi, quos in posterum ad memoratam Congregationem ad Vicarii Provincialis hujusmodi officium exercendum transmitti contigerit, post eorum in Provinciam redditum omnibus privilegiis, & exemptionibus, quibus ejusdem Provinciae Provinciales absoluti cum voce, & loco in Capitulis Provincialis fruuntur, similiter gaudere deberent.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositi subjungebat, omnes Fratres de gremio Diffinitorii, lectis, ac mature perpenitus supradictis rationibus, nemine penitus contradicente, Indulti hujusmodi concessionis consenserint, Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune provideat, & ut intra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliquo Ecclesiasticis sententiis, censuris, & peccatis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latiss, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum praementum dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore consentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum, qui votum Capituli Generalis per dilectum etiam filium modernum Priorem Generalem dicti Ordinis relatum perpesterunt, ipsumque Priorem Generalem super praemissis audiverunt, consilio, ut memorati Simon, & Joannes, qui in predicta Congregatione in Indiis Orientalibus Vicarii Provincialis munere functi sunt, privilegiis, & prærogativis Exprovincialium, etiam cum voto in Capitulis Provincialibus Provinciae Lusitaniae, ac cum loco immediate post Exprovincialies ejusdem Provinciae potiantur, & gaudent, auctoritate Apostolica tenore praesentium indulgemus. Praeterea eadem privilegia, & prærogativas Exprovincialium, etiam cum voto in Capitulis Provincialibus, & cum loco immediate post predictos Exprovinciales, Vicariis Provincialibus Congregationis Orientalis predictæ postquam in Provinciam Portugallie supradictam reversi fuerint, auctoritate, & tenore predictis concedimus; ea tamen lege, ut ii dumtaxat enarratis privilegiis in Provincia ipsa gaudere valent, qui ex Europa in Indias transeunt, & ibidem Vicarii Provincialis munus integro biennio cum laude, & profectu Sacrarum Missionum obierint, quive aut lectors jubilati sint, aut Evangelicæ Prædicationis principalioribus in Lusitanie Urbibus viginti ad minus annos cum plausu, justaque fama expleverint; Salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab

Quæ expo-
sita fuere in
Capitulo in-
termedio
1704 ab eo
que approba-
ta.

Præces Pro-
vincie pro
concessione.

Concessio
pred. iis tan-
tum facta,
qui Lectores
jubilati, vel
Prædictores
20. annorum
spatio exute-
rint.

Clausula.